

TRACTATUS DE DECALOGO.

Decalogus, a duobus verbis græcis, δεκα, *decem*, et λογος, *verbum seu sermo*, veniens, defini potest : *Lex naturalis et divina, in decem præcepta distributa, digito Dei in tabulis inscripta, et per manus Moysis populo Judaico data.*

Dicitur 1^o *Lex naturalis*, id est, in natura hominis fundata, in corde ejus a Deo creante aliquo modo insculpta et ei manifestata, præcipiens quod in se bonum et vetans quod in se malum est.

Dicitur 2^o *divina* ; quia Deus hanc legem a se in homine inscriptam eique primitus manifestatam, sed oblitam vel deturpatam, iterum positive revelavit et observari jussit. Nam, ut ait *S. Aug.*, Enar. in Ps. LVII, « ne sibi homines » aliquid defuisse quererentur, scriptum est in tabulis » quod in cordibus non legebant : non enim scriptum non » habebant, sed legere volebant. »

Dicitur 3^o *in decem præcepta distributa* ; teste enim Moyse, Exod. xxxiv, 28, *scripsit (Deus) in tabulis verba fœderis decem*, quæ in Exod., xx, referuntur : præcipua sunt capita in quibus omnia legis naturalis officia plus minusve proxime continentur.

Dicitur 4^o *digito Dei in tabulis inscripta* ; Deus enim legem suam alta voce promulgaverat in monte Sinai, inter fulgura, tonitrua, nubem densissimam, fumum ascendentem et sonitus buccinæ, universo populo audiente et perterritio : *Eratque omnis mons terribilis*, Exod. xix, 18 : *Scriptis autem Moyses universos sermones Domini..... assumensque volumen fœderis legit, audiente populo, qui dixerunt : Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, et erimus obedientes*, Exod. xxiv, 4 et 7. Moyses iterum vocatus in montem, multa accepit a Deo mandata circa arcam, ta-

bernaculum, vestes sacerdotales, etc., et completis hujusmodi sermonibus in monte Sinai, dedit ei Dominus *duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei*, ibid. xxxi, 18. Descendens de monte et videns populum in adoratione vituli aurei occupatum, iratus valde, *proiecit de manu tabulas et confregit eas ad radicem montis*, ibid. xxxii, 19. Iterum, dicente Domino : *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, et scribam super eas verba quæ habuerunt tabulæ quas fregisti..... Excidit ergo duas tabulas lapideas quales antea fuerant, ascendit in montem ibique fuit cum Domino quadraginta dies et quadraginta noctes ; panem non comedit et aquam non bibit ; et scripsit in tabulis verba fœderis decem*. Exod., xxxiv, 1, 4 et 28. Verbum *scripsit* refertur ad Deum, ut patet ex y. 1, et ex Deut. x, 4, ubi Moyses narrat populo Deum scripsisse *in tabulis juxta id quod prius scripserat verba decem*. Constat ergo Decalogi præcepta digito Dei in duabus tabulis fuisse scripta.

Dicitur 5^o *per manus Moysis*, etc., quia, licet Dominus præcepta sua immediate populo annuntiasset, tabulas ea continentis inscripta commisit Moysi, qui eas ad populum detulit et in arcam custodiendas posuit. Deut. x, 5.

Dicitur 6^o *populo Judaico data* ; huic quippe populo peculiariter selecto nova primitivæ legis manifestatio facta est ; sed nihilominus lex ista, quatenus est naturalis, ad cunctas gentes necessario respicit.

Plurima autem hic sunt notanda :

1^o Vox *Decalogus* non invenitur in Scriptura : eam primus usurpavit *Clemens Alexandrinus*, Pædag. l. 3, cap. 12, et Stromat. l. 6, ad exprimenda decem Dei præcepta in monte Sinai solemniter promulgata et in tabulis lapideis inscripta. Eam, ut pote congruentissimam, postea adhibuerunt Patres, tum Græci, tum Latini.

2^o Certum est duas exstitisse tabulas lapideas, in quibus decem præcepta erant scripta ; sed nullibi tradit Scriptura quæ mandata in utraque tabula fuerint expressa. Ut certum habetur unam respexisse ad Deum et alteram ad proximum. Judæi, præcipue *Josephus* et *Philo*, ac plures

Ecclesiæ Patres, volunt quatuor in prima tabula exstitisse præcepta, et sex in secunda: primum in duo scindebant hoc modo: *Non habetis Deos alienos coram me; Non facies tibi sculptile, etc.*, et quæ in numeris 9 et 10 habemus in unum adunabant. Hanc opinionem acriter defendit Calvinus (Institut. l. 2, cap. 8, § 12), ea intentione ut sacras imagines ex secundo mandato reprobandas esse ostendat.

Communissima vero sententia tenet tria fuisse præcepta in prima tabula, et septem in secunda, atque omnia modo apud nos usitato numeranda esse.

3° Christus de duplici amore, nempe Dei et proximi, loquens, ait: *In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetæ*, Matth. XXII, 40. Totam igitur Decalogi substantiam ad duplex hoc principium duabus tabulis congruens reducit; qui enim recte amat Deum, omnia implet sua officia erga eum; similiter et qui recte diligit proximum. Merito igitur duæ erant tabulæ, quarum una respiciebat ad Deum et altera ad proximum.

4° Lutherus et cum illo Melancthon affirmare non erubuerunt Decalogi præcepta ad solos respicere Judæos quos Deus ex Ægypto eduxerat, non vero ad Christianos qui in libertatem filiorum Dei vocati sunt. Sed Christus, Matth. XIX, 17, respondet cuidam ab eo sciscitanti quid agendo vitam æternam haberet: *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata*, et deinde præcipua Decalogi præcepta enarrat. Unde concil. Trid., sess. 6, can. 19, anathemate percutit eos qui dixerint « nihil præceptum esse » in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, » neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut præcepta nihil pertinere ad Christianos. » Idem habetur in canone seq.

5° Constat igitur ea præcepta ex genere suo obligare sub mortali; sunt enim per se in materia gravi, et illorum expletio ad vitam æternam prærequiritur. Quisquis ergo rationis est compos, ea saltem quoad substantiam scire graviter obligatur. Hinc a mortali culpa non facile excusantur parentes, domini et præsertim pastores qui suos inferiores hæc ignorare sinunt. Communiter tamen docetur

eum mortaliter non peccare, qui, secluso contemptu, verba et ordinem præceptorum Decalogi memoriter non tenet, modo substantiam percipiat, dum, e contra, non sufficeret verba recitare, si res ignorarentur.

6° Ex ipsa præceptorum Decalogi natura infertur ea esse immutabilia, omnes gentes universorum sæculorum obligare, et nulla dispensatione etiam divina relaxari posse, si excipias prohibitionem imaginum et circumstantiam sabbati, de quibus infra.

7° Præcepta Decalogi sunt alia affirmativa, et alia negativa: affirmativa ea sunt quæ aliquid fieri præcipiunt, v. g.: *Memento ut diem sabbati sanctifices; Honora patrem tuum et matrem tuam*. Negativa vero ea sunt quæ aliquid fieri vetant, v. g.: *Non occides; non mœchaberis*, etc. Affirmativa obligant semper, sed non pro semper; non tenemur enim singulis momentis actus religionis producere, parentes honorare, etc. Præcepta vero negativa obligant semper et pro semper, siquidem nullum est instans in quo rem prohibitam, v. g., homicidium, mœchiam, facere liceat.

8° Decem Decalogi præcepta inter se perfectum servant ordinem, ut optime notat *S. Th.*, 1 2, q. 100, præsertim art. 3 et 6. In prima enim tabula præcipiuntur erga Deum fidelitas, reverentia et famulatus: in secunda vero tabula statuitur ut reddamus proximo, incipiendo a parentibus, quidquid ei debemus, et neminem lædamus in persona, in bonis aut in fama, neque opere, neque ore, neque etiam cogitatione.

Sicut ergo summam credendorum habemus in Symbolo, summam petendorum in oratione Dominica, sic et summam agendorum in Decalogo.

His notatis, de unoquoque præcepto seorsim sumpto acturi sumus, sexto et nono prætermisissis, ut pote alibi specialiter explicatis.

CAPUT PRIMUM.

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

Sic exprimitur in Exod., xx, 3 : *Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ in aquis sub terra. Non adorabis ea neque coles : Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me, et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me et custodiunt præcepta mea.*

Quamvis præceptum istud verbis negativis exprimatur, certum est tamen illud esse simul affirmativum; prohibens enim quemlibet cultum erga falsas divinitates, præscribit ut legitimus cultus soli vero Deo rependatur : hæc verba, *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, etc.*, supponunt tanquam principium ludicissimum; et Christus, Matth. iv, 10, ait : *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.*

Inferiores autem alicujus personæ in dignitatibus constitutæ eam convenienti modo non colunt seu honorant, nisi fidem ei loquenti adhibendo, ipsi adhærendo, eam diligendo et externa hujusmodi affectum interiorum signa exhibendo : sic pariter Deus colendus est, fide, spe, charitate et religione, de quibus seorsim nobis dicendum est. Vide *S. Aug.*, Enchir. cap. 3.

ARTICULUS PRIMUS.

DE FIDE.

Suppositis quæ in Tractatu *de Fide* diximus, hic in quatuor paragraphis agemus 1° de necessitate fidei internæ ad salutem; 2° de iis quæ credenda sunt; 3° de externa fidei professione, et 4° de vitiis fidei oppositis.

§ 1. — De necessitate fidei internæ ad salutem.

Duplex distinguitur necessitas quoad salutem, una mediæ et altera præcepti. Illud necessarium est necessitate mediæ sine quo, etiam inculpabiliter omissio, salus obtineri non potest : tale est Baptisma in re vel in voto, nisi suppleatur martyrio : illud vero necessarium est necessitate præcepti, quod voluntarie omittere non possumus sine peccato, sed cujus inculpabilis omissio saluti non nocet, ut, v. g., realis sacræ Eucharistiæ susceptio.

Quod necessarium est necessitate mediæ, eo ipso necessarium est necessitate præcepti, si possibile sit, quia Deus vult omnes teneri salutem suam operari, ac consequenter eligere media ad illam consequendam necessaria.

Fidem habitualement necessariam esse necessitate mediæ ad placendum Deo et vitam æternam ingrediendum, apud Christianos non ambigitur, ad hoc quippe gratia sanctificans est omnino necessaria : porro fides habitualis, quæ est virtus divinitus infusa, a gratia sanctificante est inseparabilis : ergo. Hæc fides in infantibus aliisque rationis usu perpetuo carentibus procul dubio sufficit, cum indubium sit eos sine gratia Baptismatis decedentes vitam æternam obtinere. Quæstio igitur solummodo moveri potest de fide actuali respectu ad ultimum usum rationis habentium.

Notandum fidem actualem eam dici quæ usum rationis necessario supponit; per oppositionem ad fidem habitualement in anima residentem, quæ nullum exigit actum mentis. Fides autem actualis potest esse vel *actualiter* præsens, vel *virtualiter* tantum, id est in serie actuum perseverans.

PROPOSITIO PRIMA.

Actus internus fidei divinæ est necessarius necessitate mediæ ad salutem omnibus adultis in peccato mortali existentibus.

Prob. Scriptura sacra, conc. Trid. et testimoniis Patrum.

1° *Scriptura sacra.* Marc. xvi, 16 : *Qui crediderit,*

salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Joan. III, 18: *Qui non credit, jam judicatus est.* Rom. III, 28: *Arbitramur enim hominem justificari per fidem;* et Hebr. XI, 6: *Sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Patet igitur peccatores adultos justificationem obtinere non posse sine fide actuali, qua scilicet ad Deum accedant. Ergo 1°.

2° *Conc. Trid.*, sess. 6, cap. 8: « Fides est humanæ salutis initium; fundamentum et radix omnis justificationis. » Ergo non magis justificatio existere potest sine fide, quam ædificium sine fundamento aut arbor sine radicibus. Ergo 2°.

3° *Testimoniis SS. Patrum*, qui omnem Scripturam de necessitate fidei loquentem eodem sensu ac nos interpretantur, v. g., *S. Aug.*, vel potius antiquus auctor sermonis inter opera ejus relati in Appendice: « Merito laudatur fides, sine qua nihil unquam boni operis inchoatur atque perficitur, secundum illud quod scriptum est: *Sine fide impossibile est, etc.* Ergo 3°.

Hinc communissime rejicitur ut falsa opinio *Andree Vegæ* aliorumque paucorum dicentium testimonia supra recensita intelligi posse de fide in re vel in voto, sicut de Baptismo et Pœnitentia dici solet, atque ideo adultos ignorantia invincibili mysteriorum fidei laborantes, nihilominus justificari posse; nam 1° possibile esset placere Deo sine fide; quod adversatur Scripturæ, concilio Trid. et communi Patrum ac doctorum sensui. 2° Ecclesia semper docuit Baptismum et Pœnitentiam per votum una cum contritione perfecta suppleri posse: idem vero de fide nunquam censuit. 3° Baptismus, Pœnitentia aliaque similia sunt media externa ex divina institutione ad justificationem requisita, quæ aliquid prius supponunt, nempe fidem: at fides est dispositio interna omnis justificationis radix et fundamentum, et nihil supponens in quo votum ejus includatur. Ergo. Hanc conclusionem adeo certam judicat *Suarez*, ut censeat eam absque errore in fide negari non posse.

Inde tamen inferri non potest aliquos homines in proprie dicta existere impossibilitate salutem obtinendi; omnis enim homo ratione naturali et aliis subsidiis, quæ Deus per suam providentiam unicuique confert, recte uti vel abuti potest. Qui hujusmodi subsidiis abutitur, conqueri non potest si gratiam fidei non obtineat; qui vero eis bene utitur a Deo illuminabitur, non ex suo merito, sed ex pura gratia quam Deus paratus est dare omnibus quod in se est facientibus. Ergo.

Diximus *adultis in peccato mortali existentibus*; nam adulti in infantia baptizati, et nullo peccato mortali inquinati, si actualem fidem incupabiliter non habuerint, nihilominus salvabuntur, quia in gratia sanctificante, cui fides habitualis necessario est juncta, constituuntur. Porro repugnat eos qui constituti sunt in gratia sanctificante reprobandos fore si in eo statu decedunt.

PROPOSITIO SECUNDA.

Datur pro omnibus adultis præceptum divinum speciale et per se eliciendi actum fidei internum.

Prob. 1° Scriptura sacra. I Joan. III, 23: *Hoc est mandatum ejus: ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi.* 2° *Ratione theologica.* Unusquisque tenetur, ex præcepto tum divino positivo, tum naturali, salutem suam operari, ac proinde media ad eam consequendam necessaria quærere: porro, ex dictis, salus obtineri non potest sine actu fidei interno ab adultis in peccato mortali constitutis elicitio: ergo saltem pro his datur præceptum, etc. Sed hæc obligatio existit etiam pro justis, nam *justus ex fide vivit*, Habacuc, II, 4; Rom. I, 17; Hebr. X, 38. Insuper justus vivere tenetur modo supernaturali; sed eo modo vivere non potest, nisi actus fidei internæ saltem aliquoties eliciat. Unde sequens damnata est propositio ab Innocentio XI: « Fides non censetur cadere sub præcepto tum speciale et secundum se. »

Verum quo tempore eliciendus est actus fidei ut præcepto satisfiat?

Præceptum fidei obligat *per se* ad eliciendum actum in sequentibus casibus :

1^o Quando res credendæ sufficienter propositæ sunt, sive puero in infantia baptizato et usum rationis adepti, sive adulto infideli vel hæretico; unusquisque enim horum statim moraliter acquiescere ac credere tenetur, tum quia mentis obsequium Deo debitum præstare debet, ad quod necessaria est fides actualis; tum quia, si assensum suum suspenderet, gravem injuriam auctoritati Dei irrogaret.

2^o Quando quis in hæresim vel in voluntariam dubitationem lapsus est, quia statim reparanda est injuria Deo summe veraci et revelanti illata.

3^o Quando aliqua exurgit contra fidem tentatio, quæ non nisi per actum fidei vincenda videtur.

4^o Quando quis tenetur fidem exterius confiteri, ut infra dicitur; alioquin fidem non sincere profiteretur, sed simularet.

5^o In exitu vitæ et quocumque probabili mortis periculo; quia tunc maxime tenemur tendere in Deum, ut finem nostrum ultimum, quod fit præcipue per actus fidei, spei et charitatis.

6^o Præter hos casus, præceptum fidei obligat sæpius indirecte, seu, ut aiunt, per accidens, id est, ratione alterius præcepti, quod sine actu fidei rite adimpleri non potest. Ita passim loquuntur theologi, quamvis rectius diceretur sæpius in vita recurrere obligationem utendi sua fide. Porro vi præceptorum implendorum non requiritur actus fidei *formalis*, sed *virtualis* tantum, v. g., ad orationem, ad missæ auditionem, ad sacramenti susceptionem, etc.

7^o Præceptum autem fidei obligatne *per se*, in decursu vitæ, extra casus citatos, ad actus fidei formales eliciendos? Communissime affirmant auctores. Quandoenam autem? Non sibi consentiunt. Alii enim dicunt singulis diebus dominicis et festis; alii quando celebrantur mysteria fide credenda, etc.; sed qui vitam christianam ducunt, certe hoc præceptum sufficienter implent, alios religionis actus exercendo: constat in primis eum satisfacere, qui ex animo Symbolum recitat; licet enim motivum fidei non exprimat,

illud tamen in se habet. Eo facilius hæc admittenda sunt quod formulæ actuum fidei, spei et charitatis recentioris sint usus in Ecclesia: valde tamen utiles judicantur, et *Bened. XIV*, Inst. 72, præcipit parochis eos singulis dominicis et festis recitare.

8^o Hinc, cum actus fidei elici nequeat, nisi circa veritates cognitæ, stricta datur obligatio ediscendi quæ credenda sunt. Unde gravis etiam incumbit obligatio parentibus, heris aliisque superioribus, et maxime pastoribus, erudiendi pueros et ignaros circa fidem ejusque objectum, motivum, exercitium: gravis similiter datur obligatio pueris et ignaris hæc pro sua capacitate et opportunitate ediscendi. Gravitas autem peccati æstimanda est ex adjunctis, absque scrupulis.

9^o Huc usque de præcepto fidei affirmativo locuti sumus. Cum autem in quovis præcepto affirmativo, quo actus virtutis præcipitur, includatur præceptum negativum quo vitium oppositum prohibetur, sequitur ex dictis dari obligationem negativam fidei; id est, veritas a Deo revelata rejici non potest ut falsa, nec de illa voluntarie dubitare licet: si enim talis veritas aut negaretur aut in dubium revocaretur, gravis injuria Deo inferretur; secus, si propositio revelationis sufficienter facta non fuisset; tunc enim non constaret Deum locutum esse.

Notandum quod in dubiis circa fidem caute advertendum sit an hæsitatio mentis sit in voluntate an in imaginatione tantum, an aliqua ratione sit fundata, an sit vaga et sine ullo alicujus ponderis motivo: in posteriori casu, spernendum est dubium; in priori, solvenda est difficultas, et mens illuminata hæsitare non potest sine peccato.

§ II. — De iis quæ credenda sunt.

Fides alia est explicita et alia implicita, ut in Tractatu *de Fide* explicavimus.

Omnes veritates a Deo revelatæ credi debent et semper credi debuerunt saltem fide implicita latiori sensu; nunquam enim licitum fuit aliquam ex illis negare, aut de

veritate illius voluntarie dubitare : semper parati esse debemus ad firmiter credendum quicquid Deus revelavit.

Verum fides implicita sola non sufficit ad salutem : nemo quippe dicet fidem , cuius necessitatem pro adultis demonstravimus , simpliciter esse hanc fidem , qua quis adhæreret generatim omnibus a Deo revelatis , nullam in particulari cognoscens veritatem revelatam. Hoc insuper magis patebit ex dicendis.

Nobis igitur agendum est, 1^o de veritatibus quarum fides explicita necessaria est necessitate mediï ; 2^o de iis quarum fides explicita necessaria est ex præcepto ; 3^o brevem Symboli Apostolorum expositionem trademus.

Punctum primum. — *De veritatibus quarum fides explicita necessaria est necessitate mediï.*

1^o Omni tempore necessarium fuit adultis, necessitate mediï, credere actu explicito et supernaturali Deum existere atque justos in vita futura remunerandos esse ; nam B. Paulus, Hebr. XI, 6, non dicit tantum : *Sine fide impossibile est placere Deo* ; sed addit : *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

Et revera, ut quis vitam æternam per bona opera mereatur, modo supernaturali vivere debet : atqui hoc modo vivere non potest, nisi Deum auxiliatorem et remuneratorem explicitè cognoscat, quod quidem complectitur illud Psalmistæ, 83, 12 : *Gratiam et gloriam dabit Dominus*, et quod ratio per se assequi non potest. *Ita omnes.*

Communissima sententia tenet etiam fidem explicitam Dei malos punientis eodem modo semper necessariam fuisse.

2^o Post lapsum generis humani in peccatum, aliqua fides in Christum adultis fuit necessaria necessitate mediï ad salutem ; idque constat 1^o *ex Scriptura sacra.* Joannes, XIV, 6 : *Ego sum via, veritas et vita : nemo venit ad Patrem nisi per me* ; Act. IV, 12 : *Non est in alio aliquo salus, nec aliud nomen est sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri* ; Gal. II, 16 : *Scientes autem quod*

non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi. Hæc verba aliaque similia sunt generalia et fidem in Christum tanquam conditionem ad salutem necessariam exprimunt. Ergo, etc. 2^o *Ex ratione.* Homo lapsus reparari non potest nisi aliquo modo uniatur Redemptori et per Redemptorem Deo : at uniri non potest Redemptori nisi per aliquam fidem : ergo. Sic expresse *S. Th.* 2 2, q. 2, art. 7, et cum illo generaliter theologi, qui tres distinguunt gradus fidei implicitæ in Christum ; 1^{us} gradus, si credatur Deum homines salvaturum esse per media sibi nota ; 2^{us} si credatur futurum esse Redemptorem seu Mediatorem inter Deum et homines ; 3^{us} si credatur hunc Mediatorem futurum esse Deum, licet ignorentur media quibus operanda sit redemptio ; secus fides explicita esset, et non tantum implicita.

Fatentur auctores tertium gradum necessarium non esse ; quidam volunt secundum gradum requiri : sed alii communius dicunt primum gradum sufficere, 1^o quia hic gradus videtur proportionatus imbecillitati hominum lumine revelationis positivæ destitutorum ; 2^o quia durius esset dicere omnes Judæos Messiam temporalem tantum expectantes et aliunde recte viventes, vel ad Deum sincere redeuntes, salutem consequi non potuisse.

Æstimat autem *S. Th.* quosdam ante Christum fidem explicitam Incarnationis habuisse, alios vero tantum fidem implicitam in fide majorum ac sub figuris sacrificiorum contentam, et tamen salvatos fuisse ; item aliquos ethnicos salutem assecutos esse per fidem implicitam in Christum, quia lex Mosaica eos non astringebat : qui ergo, ex primitiva traditione, fidem unius Dei remuneratoris habebant, legem naturæ servabant, fideque implicita Christi, in sensu supra exposito, persuasi erant, salutem æternam assequi poterant. Talis est communis Patrum et theologorum sententia.

3^o Communior sententia theologorum est fidem explicitam mysterii sanctissimæ Trinitatis et mysterii Incarnationis, sub quo comprehenditur Redemptio, post sufficientem Evangelii promulgationem, omnibus adultis necessariam

esse necessitate medii ad salutem, suamque sententiam probare nituntur, 1° *ex Scriptura*. Joan. XVII, 3 : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum*. Ibid. III, 14 : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam*. Aspectus autem serpentis ænei erat medium omnino necessarium ad sanandos morsus. Ergo. 2° *Ex concil. Trid.*, sess. 6, cap. 6, ubi asseritur, ad obtinendam justificationem, in primis credendum esse a Deo justificari impium per redemptionem quæ est in Christo Jesu. 2° *Ex S. Aug.*, lib. de Correptione et Gratia, cap. 7, n. 11 : « Nemo liberatur a damnatione quæ facta est per Adam, » nisi per fidem Jesu Christi; et tamen ab hac damnatione » non se liberabunt qui poterunt dicere se non audisse » Evangelium Christi, cum fides ex auditu sit. » 4° *Ex ratione*. Fides saltem implicita in Christum omni tempore fuit necessaria : at cum status gratiæ perfectior sit statu legis aut naturæ, amplior necessaria est cognitio Christi. Quoniam vero Christus explicite cognosci non potest, quin explicite habeatur notitia sanctissimæ Trinitatis, fides explicite utriusque mysterii necessaria est necessitate medii ad salutem.

Attamen fatendum est hanc rationem non convincere : ex eo quod enim status gratiæ sit perfectior, non sequitur majorem Christi cognitionem de necessitate medii ad salutem requiri ; alioquin salus nunc difficilius obtineretur quam ante Christum : atqui hoc repugnat. Testimonia autem allegata de fide implicita aut de necessitate præcepti intelligi possunt. Ergo præcedens sententia, licet communius admissa, non solide probatur.

Unde multi nunc eam rejiciunt, contenduntque fidem explicitam Trinitatis et Incarnationis, post sufficientem Evangelii promulgationem, necessariam esse ad salutem ex præcepto, non vero ex necessitate medii. Hinc inferunt 1° adultos in infantia baptizatos et mysteria Trinitatis ac Incarnationis invincibiliter ignorantes, nihilominus justificari et salvari posse, modo fide supernaturali credant Dei

remuneratoris et alterius vitæ existentiam, cum fide implicita in Christum, parati quælibet alia revelata credere si ea cognoscerent ; 2° ipsos infideles, juxta legis naturæ dictamen viventes, quibus revelatio Evangelica nondum innotuit, per fidem implicitam in Christum, et Dei remuneratoris explicitam, salvari posse ; ea via enim Cornelius fuit justificatus, inquit *de Lugo*, quia Evangelium nondum erat perfecte promulgatum respectu ejus ; porro Evangelium similiter non satis est promulgatum respectu illius qui prædicta mysteria invincibiliter ignorat, et bonitati ac providentiæ divinæ repugnat ut talem hominem recte viventem damnet ; 3° nihil inde pretio redemptionis Christi detrahi ; nam sola inculpabilis ignorantia excusatur, et aliunde fides supernaturalis Dei remunerantis cum fide implicita in Christum difficile inveniri potest, seclusa speciali Dei assistentia, ubi lumen Evangelii nondum affulsit. Ergo.

4° Certum est eos qui sua culpa prædicta ignorant mysteria, absolutionis beneficio indignos esse : sequitur ex dictis et ex propositione ista ab Innocentio XI, anno 1679, damnata : « Absolutionis capax est homo, quantumvis » laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ » Trinitatis et Incarnationis Domini nostri Jesu Christi : » sufficit illa semel credidisse. » Manifestum est hanc censuram necessitatem medii non arguere, sed grave supponit præceptum : ergo, etc. Unde qui cum ignorantia moraliter culpabili hujusmodi mysteriorum sacramentalem absolutionem susceperunt, confessiones suas certo iterare debent.

5° Sed eadem mysteria invincibiliter ignorantes valide absolvi potuerunt, juxta secundæ sententiæ patronos, ac proinde confessiones in tali ignorantia factas iterare non tenentur ; prioris vero sententiæ defensores contendunt confessiones sic factas prorsus esse nullas ac consequenter iterandas, nisi aliqua sit causa ab integritate confessionis excusans, ut in Tractatu *de Pœnitentia* diximus. Constat hanc sententiam esse tutiorem, et fere omnes fatentur eam

in praxi sequendam esse, quia confessiones ab ignorante præfata mysteria factæ, essent ad summum probabiliter validæ: at talis probabilitas in materia justificationis non sufficit: ergo. Vide *S. Ligorium*, l. 2, n. 2.

6° *Notandum* aliud esse ea mysteria credere, et aliud ea scire: omnes ratione compotes ea credere tenentur, sed qui mente sunt obtusi illa memoria retinere non semper obligantur, si nempe id moraliter non possint: sufficit ut ea sibi accurate proposita explicite credant immediate ante absolutionem. Ita *S. Ligorius* cum pluribus aliis; auctor operis Gallici, *la Conduite des âmes*, etc.

7° Sedulo attendere debent confessarii an sui pœnitentis ea quæ necessitate mediis probabiliter necessaria sunt cognoscant, tum ut eos absolvant, tum ut de præteritis eorum confessionibus judicent: quoties igitur de sufficienti eorum scientia circa hoc punctum dubitandi est locus, prudenter interrogandi, et, si opus sit, erudiendi sunt prius quam absolvantur. Non raro inveniuntur homines in humanis litteris sat expoliti, qui circa religionem crassa laborant ignorantia: cavendum igitur ne, propter damnabilem reverentiam, in tali relinquuntur ignorantia.

8° Ut mysteria sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis explicite credantur, non requiritur perfecta eorum notitia quoad circumstantias, v. g., personas proprietatibus relativis constitui, humanitatem Christi propria carere subsistentia; sed sufficit, inquit *Sylvius*, t. 3, « quod rudiores credant Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum » esse unum Deum, etiamsi distincte non sciant quod sit » una essentia in tribus personis; et similiter quod credant Filium Dei, verum Deum et hominem, esse passum et mortuum pro nobis, etiamsi non noverint distinguere quod sint duæ naturæ et una tantum persona. »

9° Qui adeo sunt rudes ut simplices hujusmodi notiones sibi propositas percipere non possint, infantibus et fatuis comparantur; absolvi non possunt nisi in periculo vitæ, quo in casu sacramenta ad salutem necessaria nullitati exponuntur.

Punctum secundum. — *De veritatibus quarum fides explicite necessaria est ad salutem ex præcepto.*

Certum est divinum dari præceptum veritates Evangelicas credendi; Christus enim dixit Apostolis, Marc. xvi, 15: *Prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Obligatio autem prædicandi supponit obligationem sciendi et credendi. Idem constat ex supradictis. Ergo.

Quoad veritates credendas in particulari, unusquisque fidelis tenetur sub peccato mortali credere explicite et scire saltem quoad substantiam:

1° *Quæ necessaria sunt necessitate mediis*; quia unusquisque, ex mandato divino, salutem suam exquirere tenetur: ergo et eligere media ad eam conducentia.

2° *Symbolum Apostolorum*; tenemur enim saltem præcipua doctrinæ Evangelicæ capita credere, alioquin vitam Christianam instituere non possemus: porro præcipua doctrinæ Evangelicæ capita in Symbolo Apostolorum continentur, et ideo Apostoli hanc contexerunt et tradiderunt regulam. Unde perpetua Ecclesiæ praxis fuit ut baptizandi Symbolum ediscerent, Decret. 3 part., dist. 4, canon. 58 et 59, et baptizati illud scire tenerentur, ibid., can. 10; et *S. Aug.* ait, Serm. 59: « Prius » Symbolum didicistis, ubi est regula fidei vestræ brevis » et grandis; brevis numero verborum, et grandis pondere sententiarum. »

2° *Sacramenta quæ suscipienda sunt, et quæ ad ea rite suscipienda requiruntur*; quia, sine tali cognitione valide aut saltem debite suscipi non possent. Item sacrificium missæ, cui omnes adulti interesse debent.

3° *Necessitatem orandi et substantiam Orationis Dominicæ*; datur enim omnibus præceptum orandi, et Christus hanc formam orandi præscripsit. Hinc *S. Aug.*, in Decreto, 3ª parte, dist. 4, can. 105, relatus ait: « Ante » omnia Symbolum et Orationem Dominicam et vos ipsi » tenete, et illis quos suscepistis de sacro fonte ostendi-

» te; » et Ecclesia dicit in missa : « Præceptis salutari-
» bus moniti.... audemus dicere : *Pater noster*, etc. »

5° *Præcepta Decalogi et mandata Ecclesiæ*; hoc enim observare tenentur adulti : ergo et scire. Idem dicendum est de singulis proprii status officiis.

6° Hinc omnes qui usum rationis assecuti sunt, tenentur sub mortali hæc, pro posse suo, saltem quoad substantiam, addiscere et credere; et idcirco parentes, domini aliique superiores qui non curant ut liberi et subditi hæc discant, mortaliter peccant : *a fortiori* et parochi qui oves suas in iis erudire omittunt vel graviter negligunt.

7° Si confessarii rationabiliter timeant ne pœnitentes ea ignorent quæ ex divino præcepto scire tenentur, debent eos prudenter interrogare, erudire vel curare ut ab aliis vel ope librorum erudiantur : si tamen judicent illorum ignorantiam non fuisse mortalem et circa ea quæ ex necessitate mediis necessaria sunt non versari, præteritas confessiones habebunt ut validas, et absolutionem impertire poterunt pœnitentibus bonam voluntatem ostendentibus, etsi nondum sciant quæ ex præcepto credenda sunt.

8° Datur præceptum Ecclesiæ sciendi memoriter Symbolum, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam, sed communius docent auctores illius obligationem esse tantum sub veniali : allegant consuetudinem; consuetudo autem est optima legum interpret. Stricte ergo absolvi possent, positis aliis ponendis, qui quoad Symbolum, præcepta et sacramenta, parati essent respondere interroganti, juxta singulorum substantiam, accurate quidem, licet aliis verbis; quoad Orationem Dominicam, qui scirent omnia bona a Deo petenda esse, et quæ præcipue quærenda. Sic *S. Carolus Borrom.* in Inst. ad confess., *Bonacina, Layman, Sanchez, S. Ligorius*, etc.

9° Item plures dicunt veniale esse tantum peccatum nescire facere signum crucis : alii, ut *Sylvius*, dicunt esse mortale. Certum est voluntariam hujus praxis ignorantiam ab omni culpa non excusari; sed per se validitati confessionum essentialiter non nocet.

10, Nihilominus curandum est ut omnes, etiam rudio-

res, Symbolum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, sacramenta, Decalogi et Ecclesiæ præcepta memoriter sciant, saltem in vernacula lingua, ac maxime ut ea intelligant; qui enim ea retinerent, sed non perciperent, fidem præscriptam non haberent.

Punctum tertium. — *Brevis Symboli Apostolorum explicatio.*

Diximus in Tractatu *de Fide* quid sit illud Symbolum et qua ratione Apostolis tribuatur. A Catechismo concilii Trid., in duodecim articulos dividitur; quam divisionem a doctoribus catholicis generatim admissam retinemus.

1^{us}. *Credo in Deum, Patrem Omnipotentem, Creatorem cæli et terræ.* Dicitur 1^o *credo*, id est, firmiter, ex totis viribus adhæreo, non vero existimo, puto, opinor : verbum *credo*, triplicem habet sensum, ut notat *S. Th.*, 2^o 2, q. 2, art. 2, et dici potest, *Credo Deum*, id est, Deum esse; *Credo Deo*, id est, ea quæ locutus est Deus esse vera; et *Credo in Deum*, id est, credendo Deum esse et vera loqui, ei adhæreo. « Si creditis in eum, » inquit *S. Augustin.*, tract. 29 in Evang. Joan. n. 6, « creditis ei : non autem » continuo qui credit ei, credit in eum. Nam et dæmones » credebant ei, et non credebant in eum. Rursus de Apos- » tolis ipsius possumus dicere, *Credimus Paulo*, sed non, » *Credimus in Paulum*; *Credimus Petro*, sed non, *Credi-* » *mus in Petrum*. Quid est ergo credere in eum? *Credendo* » amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et ejus » membris incorporari. » Dicitur 2^o *Patrem*, primam scilicet personam sanctissimæ Trinitatis et omnium rerum principium; 3^o *omnipotentem*, principale ejus attributum designando; 4^o *Creatorem cæli et terræ*, exprimendo Deum cælum, terram et omnia quæ in eis sunt, condidisse : nomine cæli et terræ intelliguntur Angeli, sidera et omnia quæ non sunt Deus.

2^{us}. *Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum.* 1^o *Et*, id est, *credo*; 2^o *in*, sensu supra exposito, quia Christus ut Deus est finis noster ultimus, eodem sensu ac *Pater*. 3^o *Jesum*; *Jesu* oritur a verbo hebraico *ISSA*,